



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 12. Cardinales a Callisto Papa creati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ricum Castellæ Regem ad defectionem a Sæcul. XV.  
 Callisto sollicitaret. Idipsum jam olim e- A C. 1456.  
 gerat contra Martinum V. & Eugenium  
 IV. summos Pontifices, dum Christianos  
 Principes a debita eorum obedientia a-  
 vertere conabatur. Verum cuncta hæc  
 probra Callistus haud alio diluit responso,  
 quam beneficiorum frequentia; ut vero  
 Alphonso ostenderet, quam promptum  
 haberet bona pro malis rependendi a-  
 nimum, Purpuratorum Collegio adscri-  
 psit Neapolis Archiepiscopum, qui Re-  
 gi amicissimus, necnon Patruus erat cu-  
 jusdam Fœminæ Neapolitanæ, quæ Lu-  
 cretia vocabatur, & adeo insane ab Ar-  
 ragonum Rege amabatur, ut si viduus  
 fuisset, eam thori sui sociam fecisset.  
 Quinimo referunt nonnulli, quod Al- Marian.  
 phonsus Reginam legitimam conjugem Hisp.  
 suam repudiare voluerit, illius sterilitatem lib. 22. c. 18.  
 caussatus, eoquod ex ea nullos unquam  
 liberos suscepisset.

## §. XII.

*Cardinales a Callisto Papa creati.*

Hoc eodem anno Callistus Pontifex, bi- Raynald.  
 nas habuit Cardinalium promotio- adhunc ann.  
 nes, in quarum prima nonnisi tres crea- 1456.  
 vit Cardinales, quos inter primus erat  
 Joannes Ludovicus Milanus natione His-  
 panus, summi Pontificis ex linea mater-  
 na

Sæcul. XV.  
A.C. 1456.

na Nepos, primum Segoviensis, postea Ilerdanus Episcopus, demum Presbyter Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum, ac Bononiæ Legatus. II. Jacobus Princeps Lusitanus Archiepiscopus Ulyssiponensis, Diaconus tit. S. Mariæ in Porticu. III. Rodericus Lenzolius Borgia natione Hispanus, Callisti Nepos, Diaconus tit. S. Nicolai in carcere Tulliano, quem pariter Ecclesiæ Romanæ Vice-Cancellarium, & Episcopum Portuensem creavit. Hic idem postea summus Pontifex renunciatus, Alexandri VI. nomen assumpsit. In secunda promotione sex alii creati sunt Cardinales, quorum primus erat Raymundus Piscellus Neapolitanus, ejusdemque urbis Archiepiscopus Presbyter Cardinalis tit. S. Cæcilie, ab Alphonso Arragonum Rege quidem nominatus, ceteroquin tamen Vir priorum meritorum laude clarus. Secundus Joannes de Mella Hispanus, Auditor Rotæ, Zamorensis Episcopus, & Cardinalis Presbyter tit. SS. Aquilæ, & Priscæ. Tertius, Joannes Castellio, seu de Castellione patria Mediolanensis, primum Constantiæ in Normannia, demum Papiæ Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis. Quartus, Jacobus Theobaldus Romanus, Montefeltrinus Episcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Anastasiæ. Quintus, Richardus Oliverius de

de Augio Gallus Episcopus Constantien-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
 sis, Presbyter Cardinalis tit. S. Eusebii, <sup>A.C. 1456.</sup>  
 & Episcopus Portuensis. Sextus denique  
 Æneas Sylvius, Picolomineus Senen-  
 sis, ejusdemque urbis Episcopus, Cardi-  
 nalis tit. S. Eustachii, postea Presbyter  
 tit. S. Sabinæ, qui idem paulo post Pa-  
 pa creatus, & Pius II. est nominatus.

## §. XIII.

*Tumultus ab Alphonsi copiis in statu  
 Senensi excitati.*

Jam ab aliquo tempore tota Italia solida  
 pace fruebatur, ad cujus conservatio-  
 nem non solum summus Pontifex, sed  
 ipse quoque Mediolanensium Dux, Ve-  
 neti, Florentini, atque horum foede-  
 ratum omnem conferebant operam, solo  
 Alphonso tranquillitatis serenitatem tur-  
 bare studioso. Non ecquidem statim a-  
 perto Marte rem aggressus est, sed per  
 Piscininum exercitus sui Ducem dissidio-  
 rum Zizania seminare contendit. Hic  
 iniquis artibus Regis sui commoda quæ-  
 rere unice erat sollicitus, hinc in Senen-  
 ses sæpius hostiles conatus exercuit, at-  
 que eorum in agros populabundus excur-  
 rit. Conquerebantur illi apud Alphon-  
 sum de vi sibi illata, sed Rex id a Duce  
 suo, (verius hic iniquorum Alphonsi con-  
 siliorum Minister dici potuisset) recte fa-  
 ctum

*Comment.  
 Pii II. lib. 2.*

*Æn. Sylv.  
 Europ. c. 5.*